

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3852

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Jean de Tremblai [chevalier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1278, février

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, notifie l'arrêt du Parlement pour Jean de Tremblai, chevalier, sur 70 livrées de terre que ce dernier a héritée de Pierre de Thillay.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 918, p. 224-225.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum inclite recordationis Philippus, quondam rex Francorum, proavus noster, olim dedisset Petro de Telleio, militi, pro suo servitio et ejus heredibus de uxore sua desponsata, septuaginta libratas terre et pro eis sibi assideri fecisset manerium quod fuerat Roberti de Friebois cum suis pertinentiis, necnon totam terram quam Gaufridus de Mesnillio-Maugeri de feodo Cambellani Tancarville tenuerat, in feodum et homagium ligium tenenda, que omnia ipsi proavo nostro in commissum venerant propter forifacta illorum qui tenuerant eadem, ac Johannes de Bruecort, miles, asserens, quod ejus antecessores post dictam assisiam in saisina homagii pro terra de Friebois fuerant, quam movere de feodo suo dicebat, quod Johannes de Trembleio, miles, heres prefati Petri, tenens dictam terram de Friebois sibi de ipsa terra homagium faceret, inventum extitit quod antecessores dicti Johannis de Bruecort in saisina fuerunt ipsius homagii ; propter quod preceptum fuit, ex parte nostra, quod haberet saisinam homagii supradicti. Quibus actis, ballivo nostro Rothomagensi proponente pro nobis quod, secundum usus Normannie, ad forifactorum homagia spectabant ibidem ; tandem, visis et intellectis rationibus dicti Johannis de Bruecort, petentis quod de plano et sine strepitu jus reddi super hoc faceremus, coram nobis propositis, ad ostendendum quod sibi dictum homagium remanere deberet, visa etiam carta proavi nostri super dono et assisia predictis confecta, et dictis usibus, prout convenit, inquisitis, pronuntiatum fuit per juditium curie nostre, quod dictus Johannes de Trembleio de dicta terra de Friebois ad homagium nostrum veniet, et tam super possessione quam super proprietate dicti homagii fuit impositum perpetuum silentium Johanni de Bruecort antedicto. In cujus rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini M° CC° septuagesimo septimo, mense februarii.